



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Svmmma Totivs Theologiae S. Thomae Aqvinatis, Doctoris Angelici Ordinis Prædicatorum

Secvndæ Secvndæ Partis Volumen Tertium

Thomas <von Aquin, Heiliger>

Romae, 1619

Quomodo se habeat ad securitatem? 7

urn:nbn:de:hbz:466:1-38803

649

q. preced. ad 6. **Utrum securitas ad magnanimitatem pertineat?**
D septimum sic proceditur. Videtur, quod securitas ad magnanimitatem non pertineat. Securitas enim, ut supra habitum * est, importat quietem quandam à perturbatione timoris. Sed hoc maxime facit fortitudo. Ergo securitas videtur idem esse quod fortitudo. Sed fortitudo non pertinet ad magnanimitatem, sed potius e conuerso. Ergo neque securitas ad magnanimitatem pertinet.

l. 10. c. 18 et incipit Sapiens, parū ante med.

¶ 2 Præterea, Isidorus dicit in lib. * Etymologia- rum, quod securus dicitur quasi sine cura. Sed hoc videtur esse contra virtutem, quæ curam habet de rebus honestis, secundum illud Apostoli 2. ad Tim. 2. Sollicitè cura te ipsum probabilem exhibere Deo. Ergo securitas non pertinet ad magnanimitatem, quæ operatur magnum in omnibus virtutibus.

¶ 3 Præterea, Non est idem virtus, & virtutis præmium. Sed securitas ponitur virtutis præmium: ut patet Job 11. Si iniquitatem quæ est in manu tua abstuleris, defossus securus dormies. Ergo securitas non pertinet ad magnanimitatem, neque ad aliam virtutem, sicut pars eius.

l. 1. in c. cuius titulus est, magnan. in duobus scilicet est. l. 2. c. 5. d. me. 1. 6.

SED contra est, quod Tullius dicit in 1. * de Offi. quod ad magnanimum pertinet, neque perturbationi animi, neque homini, neque fortunæ succumbere. Sed in hoc consistit hominis securitas, Ergo securitas ad magnanimitatem pertinet.

RESPONDEO dicendum, quod sicut Philosophus dicit in secundo * suæ rhetoricæ, Timor facit homines consiliarios, in quantum scilicet curam habent qualiter possint euadere ea quæ timent. Securitas autem dicitur per remotionem huius curæ, quam timor ingerit. Et ideo securitas importat quandam perfectam quietem animi à timore: sicut fiducia importat quoddam robur spei. Sicut autem spes directe pertinet ad magnanimitatem, ita timor directe pertinet ad fortitudinem. Et ideo sicut fiducia immediate pertinet ad

ad magnanimitatem, ita securitas immediatè pertinet ad fortitudinem. Considerandum tamen est, quòd sicut spes est causa audaciæ, ita timor est causa desperationis: vt supra habitum* est, cum de passionibus ageretur. Et ideo sicut fiducia ex consequenti pertinet ad fortitudinem, in quantum videtur audacia: ita & securitas ex consequenti pertinet ad magnanimitatem, in quantum repellit desperationem.

1. 2. q. 45
ar. 2.

Ad primum ergo dicendum, quòd fortitudo non præcipuè laudatur ex hoc quòd non timeat, quòd pertinet ad securitatem: sed in quantum importat firmitatem quandam in passionibus. Vnde securitas non est idem quòd fortitudo, sed est quedam conditio eius.

Ad secundum dicendum, quòd non quilibet securitas est laudabilis: sed quando deponit aliquis curam prout debet, & in quibus timere non oportet. Et hoc modo est conditio fortitudinis, & magnanimitatis.

Ad tertium dicendum, quòd in virtutibus est quedam similitudo, & participatio futuræ beatitudinis, vt supra habitum est*. Et ideo nihil prohibet securitatem, quandam esse conditionem alicuius virtutis, quamuis perfecta securitas ad præmium virtutis pertineat.

1. 2. q. 5.
a 3. et 7.

ARTIC. VIII.

Vtrum bona fortune conferant ad magnanimitatem?

650

AD octauum sic proceditur. Videtur, quòd bona fortunæ non conferant ad magnanimitatem: quia vt Seneca dicit in libro de Ira, Virtus sibi sufficiens est. Sed magnanimitas facit omnes virtutes magnas, vt dictum est*. Ergo bona fortunæ non conferunt ad magnanimitatem.

ar. 4. huius
q. 1. in c.
Magna
in duobus
pot.issime
sita est.

¶ 2. Præterea, Nullus virtuosus contemnit ea quibus iuuatur. Sed magnanimus contemnit ea quæ pertinent ad exteriorè fortunam. Dicit enim Tullius in libro* de Officijs, quòd magnus animus in exteriorum rerum despiciencia commendatur. Ergo magnanimus

¶ 4 gnani-